## De Lexico Esthonico

*Admodum Reverendi & Clarißimi Viri,*

DN. HENRICI Göſeken/Paſtoris in Goldenberg & Præpoſiti in der Wyck/ ut & Adſeſſoris Conſiſtorij Regij in acropoli Revalienſi, amici ſui honoratiſſimi:

BArbariem cuiquam calamo depellere genti
Egregiæ laudis portio ſumma cluit
Hunc *Stahlius* cœpit *patriota* ſubire laborem
Velificans *Eſthis* ſedulitate ratâ.
*Exterus* at cœptis perplurima dignaque ſcitu
Addidit, ingenij dona probando ſui;
*Eſthos* dum docuit rhythmis quoq; plaudere *Iovæ*,
Quod quondam latuit arva *Livona* decus;
Junxit ubi plectrum *Salemannus*, fronte verendus
Canâ, *Gilæo* commodulante melos.
Cui numero jungi *Brocmannus*, nobile membrum,
Jure novus Vates dicier atq; merit
Lexica dein promit ſtudio conſcripta calente,
Invitans alios, quos ſacra cura tenet;
Ut ſic è junctis vocúm ſyſtemate nato
Hoſpitibus pateat ſemita, tecta prius,
Tecta prius, noſtræ quod non compendia linguæ
Vidiſſent lucem, queîs peregrinus eget.
Nunc operis claris *Eſthorum* lingua per arcton
Culta parat multis commoda magna focis.
Ut princeps igitur *Stahlium* per ſecla manebit
Nomen, quod glaciem fregerit arte gravi;

Altera

Alter ſic Göſeken augentem cœpta locabit
Fama polo meritum poſteritaſq; canet.

*Gratulabundus ſc.*

*GEORGIUS* Preuß/ *SS. Theol. & Phil. D. & P. P. in Guſtaviana apud Livonos Academia.*

---

ad

*Pl. Reverend. Clariſſ. & Doctiſſ. Virum*

Dn. Heinricum Göſekenium, Eccleſiæ Goldenbergenſis Paſtorem, meritiſſ. Diſtrictus Vicienſis Præpoſitum Vigilantiſſ & Conſiſtorij Revalienſis Regij Aſſeſſorem Spectatiſſ.

*Linguæ Oeſthonicæ cultorem Fideliſſ amicum, compatrem, Collegam & in Chriſto fratem jucundiſſ. honoratiſſ.*

HActen⁹ absq; metro rythmoq; ignobilis Oeſtho
Abſurdo cecinit cantica ſacra modo.
Correxti hoc vitium, Göſekeni, frater amande,
Ornaſti rythmis cantica ſacra tuis
Rarus ut hic labor eſt (ceu mecum quisq; fatetur)
Inde tibi venit ſic quoq; rarus honor.
Hoc nil curaſti, ſed contrà audentior iſti,
Collexti ſtudio verbula multa tuo,
Qveîs poterit Saxo, queîs Finno, queisq; Sueco
Qveîs Oeſtho poterit, non ſine fruge, frui.
Biblia conſcripſti multo magnoq; labore
Sermo Dei unanimi ut voce ſonare queat
Perge labore tuo prodeſſe Deoq; piisq;,
Merces ſolvetur tempore juſta ſuo
Nummos pro numeris ingratus denegat Oeſtho
In cœlis numerat munera magna Deus.

)c( ij Ad

Manuductio ad Linguam Oesthonicam..., 1660, lk. 19